



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.  
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni  
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &  
Aquilejense Schisma describitur**

**Noris, Enrico**

**Patavii, 1708**

§. 5. Non errasse Sanctum Doctorem exponentem illud Apostoli Rom. 14.  
Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Ecclesia Catholica, Romani  
Pontifices, ac Patres Sancti Augustini interpretationem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

nextem in se habere. Ita etiam se explicat Sanctus Pater in iisdem libris contra Pelagianos, ubi cum lib. 3. de Pecc. merit. cap. 4. dixisset: *Quia nisi manducaverint homines carnem eius, hoc est, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam.* Paulo superius modum assignaverat, quo pueri participant corpus Christi: *Unde fit consequens, inquit, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesie, id est Christi corpori, membrisque socientur.* Et hanc ipsam esse Augustini mentem, restatur Sanctus Fulgentius in responsione ad duas quaestiones Ferrandi Diaconi. Scripserat Ferrandus, juvenem Æthiopiæ morti proximum fuisse baptizatum, ac statim antequam Eucharistiam sumeret, decessisse, petens, num eo pacto salvari posset? Respondit Fulgentius, hominem per baptismum fieri participem corporis Christi, seu incorporari Christo, etiam si Eucharistiæ Sacramentum reapse non sumat, & cum plurima ad hoc suadendum testimonia ex sacris literis adduxisset, sermonem tandem Sancti Augustini ad infantes ante altare producit, ubi Sanctus Doctor inter alia ait: *Intelligite, & gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus; recolite enim, qui a panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis, estote quod videtis, & accipite quod estis.* Igitur infantes ex Augustino per gratiam sanctificationem baptismi facti sunt membra corporis Christi. Porro Fulgentius post illa Augustini verba concludit: *Arbitror Sancte frater, disputationem nostram preclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec quicquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur, nec alienare ab eo panis, calicisque consortio, etiam si autem quam panem illum comedit, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* In resp. ad quaest. Ferrandi Diaconi. Beda Tomo 6. in comment. cap. 10. 1. ad Corinthios, qui constati sunt ex centonibus Augustini, ita citat priora illa verba Sancti Augustini, ut eidem etiam attribuat sequentia, quæ ex Fulgentio retulimus, omisso priori versu *Arbitror Sancte frater &c.* in quem lapidem inpegit etiam compiler canonum cap. Nulli de consecr. dist. 4. verba illa Fulgentii Augustino adscribens. Ex his error ille de necessariâ pueris præter baptismum reali Eucharistiæ sumptione à Recentioribus Augustino attributus in sumum evanescit, cujus vocabus cum Romani Pontifices usi sint ad eosdem divina gratiæ hostes convincendos, haud ille unus erroris argui potest, sed unâ cum Augustino Apostolica Sedes accusanda venit, præsertim cum Sanctus Doctor illud testimonium Joan. 6. inculcarit, tanquam ab Apostolicâ Sede adhibitum, uti diximus ex Epist. 106. Quod si Recentiores religioni ducunt, aded præposterè de Romanis Pontificibus sentire, qui ex communi Ecclesiæ sensu contra Pelagianos sententias dixere, mitiores etiam ergà Augustinum animos induant, atque in eadem prorsus causâ, & Romanos Præsules, & Hipponensem Antistitem benignis interpretationibus exceipiant, non illas quidem honoris gratiâ è proprio cerebro fingentes, sed ab ipso Augustino unâ cum Fulgentio easdem inaudientes. Unus enim Augustinus sibi est ad sui intelligentiam clavis, ac suorum sensuum planus, ac sincerus interpres.

Non errasse Sanctum Doctorem exponentem illud Apostoli Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Ecclesia Catholica, Romani Pontifices, ac Patres Sancti Augustini interpretationem approbant.

Sed rursus Morainius contra Augustinum clamat: *Perperam quoque exponit id, quod ait Apostolus Rom. 14. 23. Omne quod non est ex fide, peccatum est, quasi velit dicere Apostolus, omnia opera infidelium esse peccata, & sine verâ fide nullum posse fieri bonum opus. Cum tamen ibi sermo sit de eo, quod non fit ex dictamine conscientie judicantis bonâ fide licitum esse id, quod fit, ut ex textu ipso liquet, & communis interpretatio Doctorum contradicit Augustino, qui etiam ali quot locis, ut alibi notavimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus utile vitæ æternæ consequendæ &c. Utrumque tamen à vero sensu Apostoli loco citato planè alienum est.* Hæc ille. Nos quidem superiori capite §. 4. quæ fuerit Sancti Doctoris mens de operibus infidelium indicavimus, modò Morainii ignorantia castiganda est, qui eam interpretationem, quam Ecclesia inter sacras caeremonias secuta est, à vero sensu Apostoli planè alienam dicere non dubitavit. Etenim ex antiquo Ecclesiæ ritu Episcopus eos, qui Subdiaconi consecrandi sunt, ita alloquitur: *Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis, & Ecclesiæ Dei, hoc est Corporis Christi dignè servire valeatis in verâ, & Catholica fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, & extrâ unitatem Ecclesiæ est.* In Pontificali Romano. Ecce Augustinianum interpretamentum Catholicæ Ecclesiæ approbatione consecratum, & per universum Orbem Orthodoxum ab Episcopis inter sacras caeremonias recitatum. Igitur una est Ecclesiæ, & Augustini de illis Apostoli verbis sententia, nempe ut de verâ fide Christianâ intelligantur. Videre mihi videor, novos Censores hæere, ut ajunt, ad aquas. Si Ecclesiam Catholicam perperam textum Apostoli explicare dicant, jam vident, quàm gravi se piaculo obstringunt. At si Ecclesiæ voces rejicere, religioni ducunt, jam tandem Augustino Ecclesiasticâ auctoritate coacti herbam porrigrant. Nec mirum, Ecclesiam Catholicam ita Apostoli verba intellexisse, eo enim prorsus modò Apostolica Sedis Pontifices eadem antiquitus interpretati sunt. Sanctus Leo Magnus Serm. 2. de Jejunio Pentecostes, differens de Infidelium, ac Christianorum virtutibus ita Apostoli sententiam explicat: *Aliud agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides justificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem.* Undè quia extrâ Ecclesiam Catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide peccatum est &c. Idem Serm. 8. de Quadrages. ait: *Is verâ, & rationabili purificatione se præparat, cujus cor nullâ infidelitate polluitur, dicente Apostolo: Omne quod non est ex fide, peccatum est, inutilia erunt, & vana eorum jejunia, quos illusionibus suis decipit mendacii pater, & vera Christi caro non pascat.* Fortè dicetis, illam fuisse privatam Leonis interpretationem, qui eâ in re cum Augustino sensit, docuisse illa Leonem pro concione differentem, non è Cathedrali contra hæreses quicquam desinentem. Sed parùm vos ista juvant, dum Catholici laudatam explanationem ab Apostolico ore inaudierunt, nec nisi temerè

merè dicere potestis, Leonem licet non è Cathedrâ definentem, sed docentem *perperam* locutum fuisse. Sed habemus Pontificem Bonifacium II. qui septuagesimo à Leonis obitu anno contrâ Semipelagianos sententiam è Cathedrâ pronuncians Augustinianam interpretationem probavit. Etenim in Epistolâ ad Sanctum Cæsarium Arelatensem loquens de fide Christianâ, ait: *Præter quam fidem nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut beatus Apostolus dicit: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliamur, aut si quod bonum esse dicunt de gratiâ, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda.* At si duo Romani Pontifices non satis auctoritatis addunt Augustini interpretationi, produco suffragia quindecim Patrum doctissimorum, ac Sanctissimorum, qui ex Africâ in Sardiniam à Trasamundo Rege Ariano in exilium deportati in libro de Incarnatione, & gratiâ omnium subscriptione, ut ex titulo patet, approbato hæc tradunt cap. 25. *Quis audeat illas in hoc loco gentes accipere, quas constat non esse justificatas ex fide, cum ipse testetur Apostolus: quia omne quod non est ex fide, peccatum est: & Hebr. quia sine fide impossibile est placere Deo? Quod si Abraham ex fide justificatum esse constat &c.* Hæc Synodus Byzacena. Quæ profectò faciunt, ut nostri Patris explicatio non nisi temerè censuræ subijci possit. Sed alii Patres, atque antiqui Scriptores eidem interpretationi albos calculos adjecere. Sanctus Prosper in Epistolâ ad Rufinum, Sanctus Fulgentius lib. 2. de Pecc. remis. cap. 1. Sanctus Isidorus lib. de Summo bono cap. 2. Sanctus Bernardus Serm. 30. & 51. in Cantica. Julianus Pomerius lib. 3. de Vitâ contempl. cap. 1. Facundus Hermianensis lib. 1. de Tribus capit. ad Justinianum Imperatorem cap. 1. in fine, aliique, ita ut si Patrum suffragia numerentur, pluiquam viginti Augustino in eadem Apostolici textûs intelligentiâ consentiant, cum in alterâ interpretatione longè pauciores à Recentioribus nominentur, nisi semet pariter istis adjungant, à quibus tam longo intervallo disjuncti sunt. Et tamen audacter Morainius contestatur, quod *communis interpretatio Doctorum contradicit Augustino*, quasi illi Patres, quos adduximus, Doctores non sint, sed plebeja de sæce Suburræ. Video tamen Bernardum alteram etiam interpretationem admittere, nempe, quod non est ex conscientiâ, peccatum est, in lib. de Præcept. & disp. cap. 18. & 20. Vossius vir satis suo nomine notus lib. 3. Hist. Pelag. part. 3. thesi 12. conatur uno verbo Augustini interpretationem cum alterâ memoratâ de conscientia componere, *nempè ut mens Apostoli sit, quicquid non provenit ex fide Christianâ per conscientiam ad opus applicatâ, illud peccatum censetur.* Sed nullis interpretamentis indiget Augustinus, qui de verâ intelligentiâ Paulinæ sententiæ cum Juliano litigavit. Etenim cum Sanctus Doctor in primo libro de Nupt. & concup. cap. 3. initio, ubi incipit contrâ Julianum disputare, ex illis Apostoli verbis *Rom. Omne, quod non est ex fide peccatum est*, inutulisset sine fide pudicitiam non esse veram virtutem, Julianus quatuor libros uni illi Augustiniano opponens, rejectâ interpretatione Sancti Patris, alteram dubio procul de conscientia supposuit, ut vim argumenti elideret. At Augustinus contrâ hosce quatuor Juliani libros è vestigio alterum de Nuptiis, & Concupiscentiâ exaravit, dein sex etiam volumina longè majori labore composuit, in quorum quarto cap. 3. Juliani expositionem rejicit, suamque datam cap. 3. de

Nupt. & Conc. cit. constanter defendit his planè verbis: *Testimonium illud, quod ex Apostolo posui: Omne quod non est ex fide, peccatum est, sicut tibi visum est, accepisti, & exposuisti, non ut sapit, sed ut sapis: De cibus enim Apostolus loquebatur. Verum cum dixisset: Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, ibid. quia non ex fide, hæc peccati speciem, de quâ agebat, generali voluit probare sententiâ, mox inferens: Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Hæc Augustinus, ex quibus dictamen conscientiæ à fide dirigendum esse deducitur, à quâ solâ, ut ibidem probat, in ultimum finem opus refertur, quam ille conditionem ad bonitatem moralem operis ex omni circumstantiâ perfecti semper requirit. Etenim iudicium practicum, quod dicitur abstinendum à cibus lege vetitis, dirigitur à fide, quâ creduntur præcepta illa esse servanda per ordinem ad ultimum finem. Quare, qui discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non operatur ex fide dirigente iudicium practicum, seu conscientiam, quod dictum generali sententiâ probans Apostolus ait: *omne quod non est ex fide, à quâ sola bonum opus saltem virtualiter ad Deum referri potest, peccatum est.* Neque hic audienda est violenta interpretatio Cornelii à Lapide ad hunc Pauli textum dicentis: *Augustinum cum suis rō quod non est ex fide, per miosim sic accipere, quasi dicat Apostolus, quod est ex infidelitate, vel quod est contrâ fidem, quodve fit ad cultum Idoli, hoc peccatum esse, & quia Sanctus Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri, hoc sine, scilicet ad colendum Idolum, hinc consequenter pleraque opera putasse esse peccata.* Etenim Sanctus Pater ad veram virtutem relationem in ultimum finem necessariam adeò putavit, ut nec virtutes propter sui honestatem citrà vitium expeti posse affirmaverit, ut fusiùs cap. 3. §. 4. probavimus: deficit enim illis relatio saltem virtualis proxima in ultimum finem, eò quod eliciantur ab homine veri Dei cognitione privato, ac philantia vitio corrumpantur, quæ constans Augustino sententia stetit.

Dices. Igitur si *omne quod non est ex fide, peccatum est*, videlicet omnis actio, quæ non supponit fidem in operante, à quâ in ultimum finem dirigatur, est peccatum, eaque adstruitur germana intelligentia verborum Apostoli ex Patrum, Pontificum, ac totius Ecclesiæ Catholicæ interpretatione, sequitur omnia opera infidelium esse peccata, quæ tamen est 26. propositio Baii ab Apostolica Sede toties damnata. Respondeo nos jam superiùs cap. 3. §. 4. insinuasse, procul esse Augustini sententiam à damnatâ Baii propositione, sed ne videamur recentiores Pontifices, qui memoratam thesim sapiùs proscribere, cum antiquis decessoribus, imò eum ipsamet Ecclesiâ Catholicâ committere, quæ ex Apostolo docet, *omne quod non est ex fide, peccatum esse*, pauca hic iterum subijciam. In primis illa propositio vigesima sexta Baii à plerisque recitatur, præcipuè verò à Suario hoc pacto: *Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia, omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia.* Scribit autem Turrianus in tractatu de erroribus Baii ad calcem tomi de gratiâ cap. 5. §. 1. num. 4. *Sic habent aliquot bullæ typis mandatae Romæ, & aliquot manu scriptæ, quas ego vidi.* Mendose autem illam thesim sic describi, certum est, nam tantum abest, ut Pelagiani dixerint omnia opera infidelium esse peccata, ut è contrario potius assererent, infideles pleraque virtutum opera elicere, putantes eâ ratione divinam gratiam expungere ex Augustino lib. 4. contrâ Jul. cap. 3. Suarez prolegom. 6.

Hebr.  
31.

Rom.  
14.

Posse-  
vin. V.  
Jacobus  
Bajus

leg. 6. de Grat. cap. 2. num. 7. ait: *Unde suspicor, in illâ propositione hypotheticâ deesse negationem aliquam, seu verbum negandi, nempe: Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia, non omnia opera infidelium sunt peccata, & philosophorum virtutes non sunt vitia.* At Vasquez 1. 2. disp. 191. cap. 2. ita recitat illam propositionem: *Omnia opera infidelium sunt peccata &c.* Et in eadem Bullâ non semel editâ Romæ contrâ Janfenium verba illa: *Et ad Pelagianismum &c.* omiſſa sunt. In primis damnata est illa propositio ob censuram, qua Pelagianismi incusabat negantes omnia opera infidelium esse peccata, & illam censuram primitus in Bullis fuisse patet ex iis, quæ antiquitus Romæ editæ sunt, quas etiam Turrianus insignis è Societate Scriptor testatur se legisse; quis audeat dicere, Typographos Romanos propriâ auctoritate ea verba addidisse? Hæc confirmantur ex hac propositione 23. ejusdem Baii, nempe: *Cum Pelagius sentiret, qui textum Apostoli Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legisunt, faciunt, intelligunt de gentibus fideli gratiam non habentibus.* Quæ quidem propositio vel secundum historicam narrationem accipitur, id est, eos qui ita sentiunt, id asserere, quod itidem Pelagius affirmavit. Et in hoc sensu propositio illa est vera, nec ullâ ratione damnari potest; nam Pelagius ita illa Apostoli verba explicabat in Epistolâ ad Demetriadem cap. 4. Et Patres Byzaceni in lib. de Incarnat. & Grat. cap. 5. recitatâ illâ Pauli sententiâ scribunt: *Quem quidem Apostoli locum hi, qui gratiæ contradicunt, gentibus incredulis assignare conantur.* Quod etiam tradit Augustinus lib. 4. contrâ Jul. cap. 3. §. Unde & illi. Vel eadem assertio accipitur prout censurâ configit eos, qui latidatum textum de infidelibus intelligunt, quasi hæresim Pelagianam eo pacto doceant, & recte ob impudentem censuram, tanquam scandalosa damnatur eadem Baii propositio. Itaque etiam propositio illa 26. ob censuram proscripta fuit, quæ eandem doctrinam cum 23. continet; oppositum enim theſis 26. probari solet ab omnibus ex textu memorato Apostoli Rom. 2. Respondeo secundò, propositiones illas damnari respectivè, & in sensu ab assertoribus intento, ut in fine Bullæ asseritur. Illa propositio 26. damnatur respectivè ad 35. quæ est: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Ex quâ necessariò inferitur, omnia opera infidelium esse peccata, & philosophorum virtutes esse vitia, cum illi sint peccatores. Quare meritò damnatur, uti derivata ex hæreticâ doctrinâ rejectâ in Tridentinâ Synodo Sess. 6. can. 7. & ab Augustino, ut contrâ Maldonatum ostendimus cap. 3. §. 4. Respondeo tertio, infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos à Deo præmoventur, qui profecto peccata esse non possunt. Tradit hoc disertè Sanctus Doctor cap. 24. de Grat. Christi, ubi recitato illo Scripturæ Sacræ de Assueri mutatione testimonio Hester 15. 11. *Convertit Deus, & transulit indignationem ejus in lenitatem,* cum prius præmississet Assuerum tunc fuisse infidelem, & peccatorem, concludit: *Internâ, atque occultâ, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Baius verò nullos actus bonos ex Dei gratiâ ab infidelibus fieri volebat, eò quòd gratiam tantum admitteret Spiritus sancti inhabitantis in animâ, qui cum in infideli non inhabitet, hinc arbitratur, nullum in eodem divina gratiæ auxilium reperiri. Horum testem appello Gabrielem Vasquez 1. 2. disp. 190. cap. 18. n. 184. ubi de opinione Baii in libro de Justitiâ, & virtuti-

bus impiorum cap. 4. & 5. hæc habet: *Non admitteret ille distinctionem gratiæ Spiritus sancti nondum habitantis, qualem concedimus ante remissionem peccatorum, & inhabitantis, qualem dicimus esse post remissionem.* Quæ doctrina est contrâ Tridentinam Synodum, quæ Sess. 14. cap. 4. admittit *Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis.* Ex his patet, Gregorium nostrum Ariminensem in hæthesi cum Michaele Bajo neutiquam convenire. Nam licet in 2. sent. dist. 26. q. 1. art. 1. dicat, omnia opera infidelium esse peccata; attamen art. 3. in resp. ad testimonia Augustini ait: *Si tamen aliquod taliter factum, scilicet debito fine, & aliis debitis, scilicet circumstantiis, reperitur ab infidelibus, dicendum est eos id fecisse non sine speciali adjutorio Dei.* Quod in resp. ad 8. de factio in obstrericibus Ægyptiis pueros Hebræorum occultantibus factum concedit, nempe *Deo specialiter adjuvante.* Quæ etiam ibidem probat Sancti Doctoris testimonio lib. 4. contrâ Jul. cap. 3. Ubi concedit aliqua bona opera in infidelibus ex speciali tamen Dei gratiâ derivata, & admittit insuper adjutorium Dei, seu Spiritus sancti nondum inhabitantis, quorum neutrum Baius assererat. Basilium Ponticus 1. p. Relect. de Grat. cap. ultimo pag. 204. ait: *Ponamus enim id, quod probabilis opinio fert, ut dicam in secundâ parte, omnia infidelium opera esse peccata &c.* Quis autem existimet, virum inter Salmanticenses celeberrimum Baii sententiam probabilem duxisse, præsertim cum cap. 15. de ejusdem Baii propositionibus agat? Etenim Ponticus inter Principes hujus sæculi Theologos meritò à doctis quibusque recensetur. Huic doctissimi Patres Carmelitæ Excalceati Salmanticenses honoris gratiâ hocce epitaphium posuere tract. 3. de Scientiâ Dei disp. 10. dub. 8. n. 130. *Quantvis omittere non possimus, magnum illum virum, qui modò dum huic operi insudaremus, maximo omnium dolore, & totius hujus Universitatis, imò & Orbis jacturâ à vivis ereptus est, nempe Magistrum Basilium Ponticum Legionensem Augustinianæ Familiæ augustissimam prolem, & in hac Academiâ Cathedræ primariæ Sacræ Theologiæ meritissimum moderatorem.* Itaque cum illa propositio, omnia opera infidelium sunt peccata, à nobilissimis Theologis etiam post editam Bullam contrâ Baium defendatur, palam fit in recto sensu posse accipi, à quo procul fuit Baius, undè meritò eadem theſis ab Apostolicâ Sede proscripta fuit. Hæc autem fufius profectus sum, non modò ut ostenderem Summos Pontifices, ac tot Patres, imò ipsam Catholicam Ecclesiam, dum illa verba Apostoli Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* explicant de fido Christianâ, nullâ ratione suffragari damnatâ Baii propositioni, verum etiam ut satis molestam quorundam Recentiorum importunitatem refellerem, quæ crudam illam propositionem absque sensuum, quos plures pati monstravi, distinctione damnatam volunt.

## §. VI.

*Sanctus Augustinus nunquam censuit, cogitationes morosas esse duntaxat peccatum veniale, ut Recentiores eidem falsò imponunt.*

**R**estaurat tamen accusationem Moraines, & alterius erroris Augustinum reum postulat his verbis: *Præterea lib. 2. cap. 10. contrâ Jul. docet, cogitationes morosas, sive delectationes voluntarias de rebus veneris esse duntaxat peccatum veniale, modò absterse sus in opus, seu malum desiderium, vel illius periculum;*